



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCAE
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimæ-quartæ
Januarii, M. DCC. XL.

M. JOANNE-FRANCISCO COUTHIER,
Doctore Medico, Præside.

An in Orgasmo purgandum?

I.

QUANTÆ CURÆ studioque naturæ fuerit, non in evolvendis tantum, dum generatur corporis humani partibus, & nutriendis, ut capiat incrementum, sed etiam in removendis, quæ ipsi noxam & periculum crearent, nunquam satis admirari, nunquam mente consequi poterimus. Dura sanè & aspera ad hujus veritatis cognitionem via. Eodem motu solidorum, quo succus nutritius ad singulas corporis partes allabitur, nociva, juxta leges & rationes stupenda mechanica extрудuntur. Corpus à primo vita exordio ad interitum, in eliciendâ ex alimentis, tenui, subtili, & maximè liquidâ gelatinâ, assiduè incumbit, quæ antliè premente è visceribus, per innumeros & maximè exiles tubos in minimos recessus & amfractus diffunditur, vana foret tanta sapientia, si corruptelæ non abigerentur

A

quibus ille succus eo facilius inficitur, quod ex multiplici genere alimentorum extractus, facile fermentescit, tum liquidorum moleculis exquisitam ad poros solidorum, rationem non habentibus, partium nutritio labefactaretur, perturbarentur aut collabentur functiones. Solida enim perenni, sed ad leges ferè mathematicas exacto motu correpta, siquidem placidus ille sit, benignum rotem, undē sanitas & robur corporis efflorescit, ubique impertinetur; at si succis acibus, aut cuiusvis alias saporis lacefantur, brevi ab iisdem legibus recedent, quas servant intaminatas, in eo liquore diffundendo, felici inter se concantu & concordia, ab eo fonte omnes morbos featurit nemo nisi Physicianorum ruditis inficiabitur. Quenam autem præcisæ hæ leges, quas diximus ferè mathematicas exactè definiri nequaquam potest. Recentiores laudabiliter quidem conatu, haec tenuis parum felici, sudarunt satis in computandis viribus solidorum in liquida, & liquidorum in solida, libarunt gradus omnes ponderum & potentiarum, & ratam tulere sententiam, qualis inconcussum in corpore ipsis principium patet, ex quo rationes suas certò possent deducere. Fateamur nondum nobis ita motuum corporis esse cognita principia, ut tam graves ex illis sententias eliciamus, aufusque temerarie illos de istis motibus tulisse judicia, que fluxis argumentis innituntur, sic Deus ostendit nos nobis quid sumus, quid fuimus, & quo devenimus, qui nihil sumus & id ipsum ignoramus, ecce nihil & tota infirmitas sumus, ut de te quidem minimâ vix recte judicare possumus, dum ventriculi vîres ad plura librarum millia quidam exagerant, alii rem forcè cautiùs rimati ad tres tantum uncias contraxerâ. Argumento sunt ha frontibus adversis pugnantes sententiae, nihil certi de istis computis nos statuere posse, edicere in genere satis nobis erit, inesse corpori leges, admirabili sibi ratione constantes, & penè ad mathematicam diligentiam exactas. Ideo sanitatem ab illis legibus, & certum virge tenorem deduci, enasci morbos ab earum perturbatione, naturam totis comprehendere viribus, ut subversive relevantur, liquidorum salibus, acibus, acidis, acerbis, auferris, & velut salutaribus stimulis convelli, & compangi solida, ut quantum possunt exercendo vites repetitis concusibus, corrupelas abigant, quibus motuum & mechanicarum rationum concordia perturbatur, hinc acuti cuiusdam morbi puta febris vigente paroxysmo, totum corpus aestuat & effervescit, magna vi & velocitate pulsant arterias, tenduntur vehementer muscularum fibrae; atque hi motus omnes & certamina eo recidunt, ut noxæ exturbentur. Ex urinis turbulentis, id patebit criseos temporibus, ex factis sudoribus, ex fecibus qua à nativâ crasi prorsus recedunt. At prudens Medicus naturæ hæc tui in discrimine, & totis viribus eluctanti, purgantibus suppetias ferat, eo temporis intervallo, quo tentat seipsum, à prementi pondere liberare. Hostem minitantem ejus interitum, frangat juncitus artis cum naturæ viribus. Hæc est ipsa temporis intercapido tanto pretio habenda, qua labitur pernix, nec revocanda. Hæc occasio præcepit Hippocratis, hæc felix artis & naturæ motuum concordia, quæ morbi ferociores mitescant, tumidiiores & graviores compescuntur. Hinc Medicus naturæ minister cum sit, eâ operante, nihil operetur, nisi ut immoderationem moderetur, exciteve pigroriem.

I.

STUPENDA series & situs partium omnium corporis ad invicem, exquisita ratio, quam habent inter se diametro, figurâ, crassitie, vel tenuitate, robore inæquali pro functionum varietate & diversis utilitatibus, liqui-

dorum diathesis, molecularum figura ex quibus componuntur, hujusque ratio ad solidam, denique motus tum solidorum, tum liquidorum in invicem ad mensuram & leges arithmeticas exactus, id ipsum est quod vocamus naturam. Benè operantem imitari Medici prima virtus est, & sapientia prima; hic minister ejus motibus istis intentus, arte conatur illos restituere, ubi labefactantur, atque à nativo concentu aberrant. Homo naturæ obediens, homini nocere non potest. Rationumistarum & concordia ingenuæ fatemur nos principia latere; ducimus effectibus, observationibus, experientiâ, quæ Medicis prudentis meditationibus conjuncta, artis constituit certitudinem, & in medendo firmat Medicis scientiam, prudentiam, & agrotantis salutem. Initium artis dedit observatio. Sub formâ triplici spectanda natura est, vel vegeta & sana, functiones obit alacriter, vel jacer fatigens, pondere malorum oppressa, & viribus exhaustis, vel media via inter inrumque extremum velut incedit. Medicus non est opus benè valentibus, sed male habentibus. Tunc illius opera necessaria sunt, cum satis auxili sibi natura non potest, atque omnino supervacanea doctrina foret, si natura sibi ipsi sufficere posset. Ubi verò doloribus conflictatur & viribus integris quidem, sed gravi pondere repressis luctatur, tunc Medicus incumbit in illius, ut ita dicam, concilium vocato, ad motus ejus animum intendere, illis obsequi magnâ fide & diligentia, cum vergunt ad salutem, quia non est census, supra censem salutis corporis. Omni autem studio & arte illos cohibere, comprimere, atque intra mediocritatis fines contineare, si minitentur periculum. Naturæ enim integritas in moderatione consistit. Facile qui vis sibi persuasum habebit. Cum vires exerit natura, ut excuriat pondus quo premitur, sed resistentia quæ illis objicitur impares, omnia consilia esse conferenda, ut urgenti malo falus queratur, & laborani, auxili aliquid afferatur, vires esse reficiendas & sustinendas, quæ deprimuntur, & exahuiuntur; sed nihil decernendum ante rem benè cognitam, quia sanitas sapiens posita est in bonâ consultatione, viscera & musculi roboris plena, viscidi & tenacibus humoribus infarcta, inanies in conatus etumpunt, ut hærens sibi malum excintiant, quia potentiam illorum superat oneris resistentia. Quis dubitat futuram vietrem, si vires artis, naturæ viribus accesserint. Obice remoto, viscera & musculi pristinam virtutem recipient, solitos motus obeundo, deturbabit vitiosos humores. Medicus qui malit videri nimis timidus quam parum prudens, oblata sibi velocem purgationis occasionem, ex quâ vita spes aur mortis periculum, non arripiendo, agrotanti sapiens accerit perniciem. Qui enim prægandi occasionem deserit in morbis præcipue acutis, dum materia turget, defleretur ab occasione? Quem è contra fructum non perciperet agrotans, ex prudenti audaciâ Medici. Excretiones & secretiones, imprimitis infensilis transpiratio, viscidiorum humorum oppilatione repressa, illis sublati liberius tranfigerentur. Liquida inquinata eâ labet, forces ut vinum, per urinas præcipites darent. Aër magna hæc vis & naturæ potentia, intimè liquidis immixtus, à lutulentiori chylo in sanguine naranti, paulatim expeditus, pro viribus exereret elaterium. Sanguis carerique liquores subtile & volatile fierent, subeundis exilibus rubulis pares. Quia aëre contriti adipiscuntur eximiā tenuitatem. Quidpiam simile non ferens ex venæ sectionibus, nisi plethora, ut morbo essentiâ aeger laboret. Materia ex quâ gignitur morbus, v. g. febris vel extra sanguinea vafa, vel intra venas & arterias colligitur; at, inquietus, venæ sectione nihil ex humore vitioso, quam quod venis & arteriis con-

cluditur extrahi potest; inutilis ergo futura est vena sectio, si extra-vasa sanguinea humor stagnaverit, neque nisi in sanguine fluitantem poterit educere, id est eo temporis intervallo, quo febrem concitat; quoties illa granis aliquot tartari stibiat penitus evellitur, licet plurimas venas sectiones, contumax eluisset? Vena sectionem esse exquisitissimum remedium, ultrò confitemur. Utamur cum honore, non abutamur cum artis injuria; omne nimium, naturae inimicum. Nolimus quoque purgantia promiscue usurpari, caput artis, est facere quod decet, utrumque præstantissimum remedium, habet sua jura, habet sua tempora, atque utendi occasiones. Fugitiva successuum repentinorum voluptas, ut occupat, sic relinquit. Medici est prudentis, opportunitatem expiscari. Febrile fermentum, humor est, vel maturandus si mora non sit impatiens, vel expellendus, si sit in mora periculum. Sed neutrū præstatur vene sectione. His adde sanguinem eò facilius accreditis labem contrahere, quò magis spiritus ejus evanuerunt, atque ex acre ad febrim viam esse maximè pronam, & lubricam. Arripias ergo opportunam purgandi occasionem, omnia sunt adhibenda, dum occasio in manibus est, alioqui non salubriorem feret fructum ægrorum ex purgationibus, quam tulerat ex venas sectionibus, felicia tempora purgandi si labi finas, & postquam natura erupit in conatus ideo irritos, quod sibi tempore & loco auxilium defuerit, ut hostem deturbaret, fructa tentaveris instituere purgationem, subactas jam vires, penitus fregeris, non quæ educere oportet quo maximè vergunt, eo duxeris per locos-convenientes. Hæc præpostérè exhibita purgantia, humoribus fervorem inferunt, hunc acres, amari, austeri, acerbì & importuna exitiosa, & vi induxit fermentatione, quibus injunctâ prorsus sensatione lingua ægrorum afficitur. Quid memorem tenuioribus purgantia in sanguinem, cum chylo abreptis particulis, nifus edente naturâ benignè lacerfiri tunicas vasorum sanguineorum: Hinc illa, motu concitatori urgent sanguinem in incernicula, unde secretiones & excretions frequentius & alacrius transfiguntur. Verum aliter evenire, longè aliter intellexerimus. Si membrana irrito conatu, jam effici viribus, acribus purgantis particulis iterum convellantur. Ergo eo temporis intervallo purgandum, quo natura tentat pondus, quo premitur, excutere.

III.

ATQUI in Orgasmo natura tentat pondus quo premitur excutere. Sed ne sit equivoco locus, quid sit Orgasmus definitum; humor in Orgasmo, effervens humor est, qui morbi initio quoquo versum fertur. Dicitur hæc metaphora ab animantibus cæstro venereo percisis. quo furenti & cœca libidine ruunt in concubitus. Eo sensu Hippocrates sanguinem quibusdam in vulneribus suo impetu deliria inferentem ait esse in Orgasmo. οὐδὲν : quid ergo ille sibi vult, cum purgare jubet in Orgasmo, etiam si materia sit cruda, nisi purgare oportere. Quando materia nondum cocta vehementi fertur impetu, & effero conatu proflire gesit. Non aliter ergo quam de crudis humoribus intelligas Orgasmum. Vix autem acutos morbos repertas in quibus Orgasmus non erumpat, hinc conficias paucos esse, quorum initio purgatio non sit opportune instituenda, etiam crudis humoribus, paucos, qui in exordio purgandi occasionem non præbeant, quam si tempestivè atripueris, sanguinem magnam humorum corruptelam & illuviem substraxeris. Notandum autem in-

5

annis morbis acutis Orgasmus se proderet; eo igitur ipso die, quo deprehenderis, coneris purgante comprimere, ne graviora pariat symptomata, immo quandoque offertur occasio, ante venia sectionem, purgandi; audaciis ergo aggredere purgationem, ne damnosè cunctando feris te tuae procrastinationis penitentia, & peccatum luat æger tuae tarditatis, ne coctionem forte non futuram expedites; ut quid autem dixit Hippocrates, ratò materiam turgere? quia non plurimum sed una vice tantum, Orgasmus eodem in morbo vulgo recurrerit. Ita cohærent cum sententiâ Aphor. xxiv. Section. 1^o. in acutis affectionibus raro, hoc invenire morbo si id faciendum, medicamentis uti oportet, atque hoc facere diligenter prius estimatione facta, quasi dicere ita velociter ferti morbum acutum, ut ferè præcipiat purgandi occasionem, quæ cum initio dare se confieverit, oculis augebit, vix unquam revocanda, hinc conficias Hippocratem sensuisse tantum Orgasmus eodem in morbo saepius non accidere, quod Graco idiomati coincidit, ταῦται εἰπεῖν, non autem saepius turgere, sed forte nec Hipp. nec quisquam ab ipso vidit sine Orgasmo nacentem morbum acutum. Orgasmus enim est naturæ conatus aut impetus quod tentat à premente pondere liberare, qui que ex motu liquidorum & solidorum reciprocō, atque mechanicā necessatio consequitur.

I V.

QUID materia cruda nomine, quid cocta intelligendum? Cum vitiis humores & heterogenei miscentur liquidis, dicitur materia esse cruda. Ex ea misturâ nascentur perturbata fermentatio, & effervescentia febres. In morbi principio, urinæ crudæ & limpidae, in statu & declinatione turbida erumpunt. Piores sunt signa cruditatis, posteriores coctionis, seu vitiosam materiam secretam & deturbatam fuisse. Sanguis non remittente febribi effervescentia, prorsus labefactatur, cruda persistet urinæ, atque æger oscumbit. Porro natura omnis infestantis molestia vacuitatem duplo viâ molitur, vel in statu, aut in declinatione morbi tantum, secretas à liquidis & in præceps actas corruptelas extrudit, tum materia cocta dicitur. Vel in principio, aut augmento, quando turget, & effera tumultuatur, effervescit & rapido motu fertur, tum cruda vocatur & in Orgasmo posita. Imbuti pravo fermento liquores, eo ritu in vasis turgescunt, quo multum dolio diligenter conclusum tanco impetu luctatur, ut dolii latera dissiliant. Tum aliquod auxilii genus sibi querit natura, vomitu, diarrhoea symptomatica, initio & augmentatione morborum erumpentibus, quibus vitiatum humorem secernit atque exigit. Sed qui nequæ quod justum, nequæ quod idoneum est perfectum habent, accipiunt ab Hippocrate, summâ hæc cautione & prudenter opus esse, ne intempestiva purgatione omnia exasperentur, diligenter, inquit, prius estimatione facta. Ita ille sibi persuasum habuit, oblatâ purgationis occasione acutorum initio solerter esse utendum, ut à primis eorumdem acutorum diebus, locis pluribus operum suorum nos doceat, esse arripiendam. Si vero omisso principio, ad finem jam vergente morbo exhibitis, in desperato jam corpore, periculum est nè magis delinquas, quam successum convequieris. Lib. 3. de morbis art. 22. vult exhiberi purgans medicamentum pleuriticis biliosis, antequam sputa crassa & biliosa egerantur. Lib. de fracturis art. 39. agens de fractuâ ossis femoris, ait Helleboro, eo

ipso die quo repositum os fuetit purgare opottere. Iстis liquet solitum fuisse purgantia propinare in principio acutorum, ut tunc luctanti naturae ferre auxilium. Hinc conjicias tantum virum, quos in impetus istis temporibus illi erumpit, maximè censuisse salutares, & externi subsidii ope esse promovendos. Motus igitur ac impetus naturae sic observandus, humor noxius per convenientes regiones atque vias delatus, finendus est, atque etiam, si segnius progreditur, incitandus, fit enim naturae duce, quæ nihil perturbate, nihil nisi sapienter gerit. Qui vero insueto nec naturali cursu fertur, inhibendus, & in brevem rectumque tramitem, si incommodè licet, revocandus, ut qui humoris impetu & impedita natura symptomaticè fiat. Porro initio omnium ferè morborum acutorum, effusus humor effrenatè vi à loco in locum fertur, velut æstuans mare, & salubri irritamento tuborum membranas lancinat, ut impetu suo id onus deponere & abjecere enitantur: tunc non admodum ægrè videtur medicamento cessurus. Sic spè artis oſu animadversum est humoris purgatione, sive sponte sive arte ea contigisse, accelerari concoctionem, moxque urinas puriores & cum sedimento fieri, & anticipitatem periculosemque morbum, tutum salutaremque reddi. Quo autem acutior est morbus, hoc magis acceleranda, validiorque decernanda purgatio. Nè ultrò citrōque concitata materia, in principem aliquam partem irruat, repentina quoque sit exitio. Itaque licet generatiū loquendo à perfecta concoctione felicior sit purgatio, ea tamen etiā ante concoctionem in anticipi gravius morbo est necessaria, in salutari ac mihi utilis, morbi anticipitis semper & symptomata levia sunt, & minimè tutus exitus. Statim per initia non utiliter solum, sed & necessariò utendum medicamento, nequè prudentis est Medicī concoctionem expectare, qua fortasse futura non est, cum enim antecps is sit ac vehemens, semperque metus impendeat, ne aut deturnior evadat, aut laborantem ante statum jugulet, crudelè etiamnum materie non nihil purgatione demandum ante concoctionem. Hac arte partem vitiosi humoris sanguini subduceris. Tenuioribus medicamenti particulis labem ipsi inauastam in intestina detruseris, crassioribus corruptelas quibus ipsa intestina inquinatur simul foras dejeceris, si minus feceris, iis inquinamentis sanguini urâ cum chylo permixtis, atrocior morbus vehementius excandescet, & liquidorum textura, dissolutione immedicabili subvertetur, si neglegētis miserabiliter luctantis quasi luto defixa, iritis naturae conatibus, negato opportuno subdio, tot incommoda quibus modo orientur. Quis inficiabitur hanc in suam salutem tantis motibus ferri, hāc proinde adjuvari oportere, porrò sapienter nos monet Hipp. nihil movere nisi prius diligenter facta estimatione. Pharmacum primis Orgasmi diebus venæ sectioni præmitte, quia tunc in primis viis later impetum faciens venenum, è contra, vena sectionem Pharmaco, si eidem moram concesseris in arterias se infundendi: feres hāc arte feliciter auxilium naturae laboranti, conatus quidem sed impares edenti, ut potè qui ab humorum pondere superentur. Arte pares sicut naturae vires oneri excurrendo. Fortè nunquam sè dabit coctionis occasio. Vomitionibus arte concitatis, morbi mansuecant, aut diurniores, aut contumaciores, aut infanabiles aliquin futuri. Quid prestabilius, quid salubrius quam eo ipso auxilio mechanice motus & leges sectari, & pressiū ad illos accedere. Solida vehementi quatiuntur impetu, vires in liquida quantum possunt exerci. Nullus in corpore motus sine causa concitatuz, quem ergo ad finem ex mechanicis legi-

7

bus Orgasmus exorietur? Si enim natus ille non sit ad exturbandos vitiosos humores, quo tanta turba, tantus tumultus recideret? Quo pertinebit? Natura de medio malorum fonte incolumitatem sibi & commoda plurima comparat, an non ipso dolore nato torquendis corporibus admonemur, ut ab illis nociva removeamus; non absimilis Orgasmi ratio ad fuganda quæ sibi aliquid molestiae aspergebant, quiescir enim vel commoveri pergit, quâ ratione parum vel multum infestantis humoris exturbavit.

V.

AT inquires summum est periculum tum purgationem moliri, cum partculæ sinceræ & heterogeneæ inter se confuse sunt, & perturbatae. Purgans medicamentum turbas grauiores concitat, hæc quidem confitemur ab importunâ, sed nunquam ab opportuâ purgatione timenda sunt. Undè ergo captanda sit occasio purgandi; paucis accipe. Nihil difficultius in præxi Medicâ, quam quod decet. Leviter affecti natura vivendique legibus committendi, quos enim sponte natura sanat, frustrâ Medicina fatigat, Medici nihil agendo sèpè multum proficiunt. At quibus nec naturæ vis, nec proba vivendi ratio satis faerit, Medicina succurrat. Si corruptus humor atque vitiosus in ventriculo consistere signis deprehenditur, primo quoque tempore expurgandus, præsertim si impietu quodam sponte moveretur, nequæ tenacius adhærescit: ejus concoctio haud quaquam est expectanda, quæ propriè futura non est; qui altius in partibus conditus est, protinus quoque detrahî potest, nisi admodum lentes crassifusque sit, tunc attenuandus ac detergendus, & universè vel partite vacuandus. Cum autem in venis & arreriis, vel Medici procrastinatione, vel quovis alio casu, concluditur, haud rectè potest ante coctionem exquisitè purgari. Huicque purgationi tempus accommodatissimum in morbis acutis, statu est aut declinationis initium, quo & perfectè existit concoctio, & vacuationes sponte procedunt, sic integra sequetur solutio, sic nihil morbi reliquum feceris, & res in tuto collocabuntur. In hoc igitur casu, universa morbi materia nisi cocta & post statum, cum jam symptomata præter rationem mitescant radicibus extirpari potest, id ipsum est quod præcipit Hipp. concocta medicari atque movere non cruda, at nihilominus in morbi incremento, & in fine principii cum nondum perfectè sed obscurè cocta est mareria, hanc etiam vacuare licet, sed parcius, & factâ priùs astimatione, perfectè verò cocta, validius. Quidquid à purgatione circa morbi initia instituta reliquum fuerit, facilius natura domabit, sic impudentem morbum sèpè arcebis purgatione. Et hæc de morbo quidem acuto, sed salutari prorsusque tuto præcepta sint. Cùm promptiore acuti morbi Medicinam expertant. Cæterum in ancipiti atque gravi starim per iniria non utiliter solum, sed & necessariò decernenda purgatio, in hoc stabilitur tora Medicina, & morbi curatio. Prudenter alterantia tum miscueris purgantibus, ut quoad fieri potest humor mitescat, ipsum opium aliquando in doloribus acutissimis poteris tempestivè adjungere, nedum vis purgantis illo frangatur. Summa quoque religio si purgantia adhibere, nisi quæ vim ultrâ primas sedes non exerunt. Eo pertineat totum purgationis consilium, facultias ex ventriculo & intestinis deturbandi. Sic mineralium ut antimonii pœ vegetabilibus ma-

gni facienda virtus. Non in Pharmacis , sed iis tempore & loco adhibitis, atque modo utendi posita est vera Medicina. Denique insipida sint vulgo quæ adjunxeris alterantia, eā mente ut salium aculeii retundantur , nuncquam ab illis cautionibus discedas , & sensus mentemque Hippocratis assequeris , si enim eum transeundi spes non est , tamen est dignitas eum subsequendi. Qui modo ait lib. de affect. Si febris detinet neque suprà vel infia purgantur , 3º. vel 5º. die leni medicamento per inferiora purgandum : si quartana ait eodem lib. prehenderit , si quidem impurgatus fuerit , sub ipsam accessione medicamentum purgans sursum in ipsâ accessione exhibendum.

Ergo in Orgasmo purgandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|-------------------------------------|---|---|
| <i>M. Hiacinthus-Theodorus Ba-</i> | <i>M. Raymundus La Riviere.</i> | <i>M. Camillus Falconet , Salu-</i> |
| <i>ron.</i> | | <i>bris Confilii Regis Socius , &</i> |
| | | <i>& Regia Numismatum Aca-</i> |
| <i>M. Ludovicus - Maria Pouffe.</i> | <i>M. Franciscus-Josephus Hu-</i> | <i>demia.</i> |
| | <i>nraud , Regia Scientiarum</i> | <i>M. Hyacinthus-Theodorus Ba-</i> |
| | <i>Academie & Regia Socie-</i> | <i>ron , Antiquus Facultatis</i> |
| | <i>tatis Londinenſis socius , &</i> | <i>Decanus.</i> |
| | <i>in Horto Regio Anatomes &</i> | |
| | <i>Chirurgie Professor & De-</i> | |
| | <i>monstrator.</i> | |
| <i>M. Antonius Casamajor.</i> | <i>M. Ludovicus-Petrus Le Hoc ,</i> | <i>M. Joannes-Franciscus Cou-</i> |
| | <i>Confiliarius Medicus Regis</i> | <i>thier , aliis Praes.</i> |
| | <i>ordinarius in ejus Castellito.</i> | |

Proponebat Parisis , LUDOVICUS - ALEXANDER
VIEILLARD , San - Laudæus Constantiensis , Baccalau-
reus Medicus , A. R. S. H. 1740. à sextâ ad meridiem.